

Promissio regis Poloniae, quod castrum Boleslavitiz velit destruere.

17

Nos Casimirus Dei gratia rex Poloniae, omnibus et singulis tenore presentium volumus esse notum, quod omnimodam tranquillitatem regnorum Poloniae et Bohemiae, fieri, et commodum hominum et incolarum affectantes, nec non securitatem stratae publicae, quae ducit de Polonia in civitatem Pratslaviam circa castrum Boleslavitz, ut tuto et secure, libere, ipsas partes intrare et stratam valeant, atque possint; volumus et promittimus fide certa, post destructionem castri dicti Boleslavitz factam per nos, magnificum principem dominum Joannem illustrem regem Bohemiae fratrem nostrum charissimum in festo Epiphaniae proximè affuturo, prout ipsum dinere et dirui facere efficaciter promiserit, aliud castrum Boleslavitz in eodem loco, nunquam per nos, aut nostros subditos, seu alium, vel alios quoscumque de cetero reparandum. Si qui fortè temerariè aut aliàs, ipsum castrum post sui destructionem vellent aliqualiter reparare, aut reaedificare in eodem loco, aut alibi in ipsius districtu; tunc statim sine temporis dispendio, nos cum ipso domino Joanne rege Bohemiae memorato, aut alter nostrum, qui primo poterit, tenebitur reaedificationem huiusmodi impedire, alter verò nostrum, quam citò per alium fuerit requisitus, suum proinde tenebitur prestare auxilium et iuvamen. Verum quia, si fortè praefatum castrum non obstantibus quemquam reaedificare aut reparare contingat; quod tunc nos cum domino rege Bohemiae, ad sui destructionem sive acquisitionem procedere et satagere efficaciter tenebimur et debemus. Volumus insuper ut omnia bona et possessiones cum omnibus et singulis pertinentiis ipsarum, districtus memorati, pertineant ad nostrum

regnum

Tabloniskis

regnum Polonia, cum omni iure, que ab antiquo noscuntur  
obtinere, possessiones, itaque alia eiusdem districtus si-  
ve castri, que ad ducatus Slesie spectant, distincta ma-  
neant circa ipsas, prout ab antiquo noscuntur existisse.  
In cuius rei testimonium, etc: Actum et Datum in Wis-  
sograd in Hungaria, in die sancte Elisabeth. Anno Do-  
mini 1335.